Jus Canonicum

Camelon Antonius:

Dissertatio de iudiciis ecclesiasticis privatis, ex libro III Institutionum Iuris canonici.

2312 Prawo.

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

DISSERTATIO

DE JUDICIIS ECCLESIASTICIS PRIVATIS.

Ex Libro III. Institutionum Juris Canonici;

circa Actum Promotionis

ad Doctoratum in Utroq; Jure,

Perillustris & Reverẽdissimi Domini

D. JOANNIS

DE ZMIGROD IN ZABNO

STADNICKI,

Canonici Cathedralis Cracoviensis &c. &c.

Viri de Ecclesia Dei & Republica Polona Meritissimi,

publicè ad disputandum

In Collegio Juridico Universitatis,

PROPOSITA.

Annô Domini 1764. Die XVI. Mensis Julii.

C R A C O V I Æ.

Typîs Seminarii Episcopalis Academico-Diœcesani.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM, *videlicet in argumentum propensissimae venerationis, praesens Dissertatio Magno Tuo Nomini dicatur.*

Perillustris Reverendissime Domine Neo-Doctor.

Tanta enim Generis dignitate, Meritorum amplitudine, Virtutum & qualitatum praecellentiâ emines, ut omnibus Ecclesiae & Regni, quibus praeesse consueveras Tribunalibus & Subseliis, venerandam Auctoritatem ex Te superaddas. Dignitatem Tui Pervetusti Generis novit peroptimè Europaeus Orbis, amplitudinem Meritorum videt publicè uterq; Regni Status, virtutum & qualitatum Tuarũ praestantiam singuli Concives cum plausu venerantur. Veneratur quoq; Cracia Studii Generalis Universitas, ejusq; Facultas Juridica, magna Tua in Ecclesiam & Rempublicam Polonam Merita, quae dum interim Doctorali Utriusq; Juris Laureâ hodie coronat, Praesuleas Tibi Tiaras propensissimis cordibûs apprecatur. Porro: Supremus bonorum Remunerator, in Cujus sacras Ædes Oporyszoviensem & Zabnensem *liberales impendisti curas, Te Tuamq; Progeniem Carissimam desideratissimîs perabunde muneret successibus, & sospites ac longaevos in decus Ecclesiae, in solatium Patriae conservet. Ita ex animo vovet:*

Jllustrissimo Nomini Tuo

obligatissima,

Facultas Juridica.

DISSERTATIO
JURIDICA.

JUdicium est legitima controversiæ inter Actorem & Reum ortæ per Judicem discussio ac definitio. (1) Quod judicium ratione finis, est *Privatum* seu *Civile*, in quo primariò agitur ad interesse alterius litigantis; & *Publicum* seu *Criminale*, in quo primariò agitur de bono totius Communitatis. Ratione causæ efficientis seu Judicis, est *Ecclesiasticum*, in quo præsidet Judex Ecclesiasticus, (2) *Sacu-liare*, in quo Sæcularis; & *Compositum*, ùt in Judiciis Tribunalis Regni ex Privilegio CLEMENTIS VIII. (3) Item est *Ordinarium*, ubi Judex exercet jurisdictionem sibi ex Officio suo competentem, (4) & *Delegatum*, ubi speciali vel generali mandatô sibi commissám. (5) Ratione materiæ seu causæ controversæ est *Petitorium*, in quo proprietas rei; & *Possessorium*, in quo rei possessio petitur: utriusq; autem tot sunt divisiones, quot Actionum ac respectivè interdictorum genera recensentur. (6) Deniq; ratione formæ est *Ordina-*

rium,

1) c. *Forus.* 10. *de Verb. Signif.* 2) c. 2. & 3. *de Judic.* 3) *Bulla quæ incipit:* Secutitati. 4) *l. More Majorum. ff. de Jurisdict.* 5) *c. 7. de Offic. Ordin. in 6. l. 5. & 16. ff. De jurisdict. omn. Judic.* 6) *Inst. Civ. Lib. 4. tit. 6. & seqq.*

rium ſeu *Plenarium* ſive *Solenne*, in quo ſolennitates omnes à jure præſcriptæ minutim obſervantur; & *Extraordinarium* ſeu *ſummarium*, in quo ſoli actus jure naturæ requiſiti, & ad ſummum aliqui jure poſitivo præſcripti occurrunt: ſeu in quo ſine ſolenni judicii forma, ſola facti veritate inſpecta proceditur. (1)

II.

OMne Judicium Eccleſiaſticum (non ſecus ac Sæculare) ex tribus perſonis conſtituitur, nempe: Judice competente, Actore qui in judicio ſtare poſſit, & Reo qui pariter à limine judicii non repellatur. (2) Porro Judex competens non eſt, niſi Perſona Eccleſiaſtica, ſi vel *1mò.* res controverſa ſit ſpiritualis, aut ſpirituali annexa, (3) vel *2dò.* Reus, qui in judicio convenitur, ſit perſona Eccleſiaſtica. (4) Præcipua enim Immunitatis Eccleſiaſticæ pars eſt, quòd Judicia Eccleſiaſtica celebrari non poſſint, niſi coram Judice, qui ſit Perſona Eccleſiaſtica, Judiceſq; ſæculares ſint Juriſdictionis Eccleſiaſticæ prorſus incapaces, ùt fuſè probant Canoniſtæ. (5) Et quidem ad hoc, ut cauſa aliqua *privativè* dirimenda ſit à Judice Eccleſiaſtico, ſufficit, ut vel ipſa *cauſa* ſit ſpiritualis *vg.* ſimoniæ, vel perſona Rei circa rem etiam profanam conventi, ſit perſona Eccleſiaſtica; quales ſunt Clerici omnes etiam primâ tantùm tonſurâ inſigniti, dummodo habitum & tonſuram deferant. (6) Item Regulares omnes utriuſq; ſexus etiam novitii, imo & Tertiarii conventualiter viventes. (7)

III.

JUdicium Eccleſiaſticum *Ordinarium* celebrari validè non poteſt, niſi *1mò.* in territorio ipſius Judicis Ordinarii, (8) *2dò.*

1) *Clem. 2. de Verb. Sign.* 2) *c. Forus. 10. §. In omni. de Verb. Sign.* 3) *c. 2. & ſeqq. de Judiciis.* 4) *Can. Sacerdotibus. & ſeqq. 11. q. 1. Conc. Trid. Seſſ. 25. cap. 20. de Reform.* 5) *cc. DD. ad tit. de for. compet.* 6) *Trid. Seſſ. 23. Cap. 6. de Reform.* 7) *Can. De perſona. 11. q. 1.* 8) *c. fin. de Conſtit.*

2dò. contra Reum jurisdictioni Ordinariæ, vel ratione domicilii, vel rei sitæ, vel Contractûs, vel delicti subditum; 1) *3tiò.* pro casu jurisdictionis in non subditum prorogatæ. (2) Et quamvis semper prorogari possit jurisdictio Ecclesiastica ad causam vel personam Sæcularem; nunquam tamen sæcularis ad Ecclesiasticam, prout expressè decernit *c. 2. de Judiciis. & c. 18. de Foro compet.* *Delegatum* autem judicium non celebratur validè, nisi *1mò.* constet de valore delegationis. *2dò.* Delegatus intra fines Rescripti se contineat. *3tiò* causam absolvat prius, quàm delegatio exspiret. (3) Deinde Judicium *Solenne* nonnisi in causis gravioribus & celerem expeditionem vel non exigentibus, vel non admittentibus locum habet, exigitq; actus plerosq; omnes è Jure Civili in Jus Canonicum adscitos; *Summarium* verò in Causis vel levibus vel celeriter expediendis adhibetur, exigitq; ea tantùm, quæ jure naturæ sufficiunt, ut sunt: Actoris petitio, Rei citatio, illius probatio, hujus defensio, & sententiæ prolatio. (4)

IV.

QUoniam utroq; Jure cuiq; permissum est, causam per Procuratorem agere vel defendere, (5) ideo Procurator aliena nempè negotia Mandatô Domini administrans, (6) vel est judicialis, vel extrajudicialis, vel generalis, vel specialis, vel principalis vel substitutus. (7) Qui ad lites, habilis & jure non prohibitus, (8) constitui potest etiam per tacitum consensum (9) Domini pariter non prohibiti, (10) revocariq; potest solo dissensu Domini significato,

1) *c. fin. de For. compet.* 2) *c. 18. eod. tit.* 3) *c. 11. 42. & fin. De Offic. Jud. Deleg.* 4) *Clem. 2. de Verb. Signif.* 5) *c. 7. de Procurat. pr. Inst. de Iis per quos agere possum. & l. 5. ff. de Oblig. & Action.* 6) *l. 1. ff. de Procurat.* 7) *cc. DD.* 8) *c. fin. de Procurat. in 6. l. 7. & 9. C. eod. tit.* 9) *Pirrh. & Perez. ad tit. de Procurat.* 10) *c. 8. de Sent. excomm. in 6. & l. 43. §. 1. ff. de Procurat.*

ſed poſt litis conteſtationem, ex juſtis duntaxat cauſis. (1) In cauſis criminalibus, in quibus agitur ad pœnam corporis afflictivam, Procurator regulariter non admittitur, in his enim tam Reus quàm Accuſator de jure ſcripto debent perſonaliter comparere. (2) *Ratio* in Reo eſt, ne judicium maneat ſine executione, ſi Reus fortè aufugeret: in Accuſatore, quia tenebatur ad pœnam tallionis; quæ pœna cùm hodie ceſſet, poteſt quoq; accuſatio per Procuratorem proponi. (3)

V.

JNterdum accidit, ut judiciorum metu, litigaturi ad pacta & tranſactiones veniant, aut ad Arbitros declinent, (4) unde pactum eſt duorum in idem placitum conſenſus de re ſolvenda, ideſt facienda vel præſtanda; (5) quod pactum legitimè celebratum, (6) & præſertim juramentô firmatum, omnino per Jus Canonicum ſervari debet, dummodo non tendat in periculum animæ, nec à Jure Canonico expreſſè reprobetur. (7) Tranſactio autem eſt de re dubia & lite incerta pactio non gratuita, (8) utrinq; nimirum onus aliquod afferens: aliquo dato, vel promiſſo: retento, vel remiſſo. (9) Quæ tranſactio rite facta *vg.* ſuper re temporali, (10) habet vim rei judicatæ, perimitq; probationes quaslibet, contra illam poſtea producendas. (11) Deinde: Arbitri ſeu Compromiſſarii ex conventione & conſenſu Partium aſſumuntur ad cognoſcendum & definiendum negotium, à jure non exceptum; (12) quorum laudo ſeu arbitramento, ſive juſtum, ſive injuſtum ſit, etiam appella-

tione

1) c. 7. *de Procurat. in 6.* 2) c. *Veniens.* 15. *de Accuſat. l. pen. ult.* §. 1. *ff. De publ. Judic.* 3) Schmitz *ad tit. de Procur. q.* 2. 4) Lancel. §. 1. *Inſt. de Pact. & Trans.* 5) *l.* 1. §. 2. *ff. de Pact.* 6) c. *fin. de Pact.* 7) c. 28. *de Jurejur.* c. 5. 6. & 7. *de Pact.* 8) c. 7. *de Tranſact. & l.* 1. *ff. eod.* 9) DD. *ad tit. de Tranſact.* 10) c. 2. & *ſeqq. eod. tit.* 11) c. 1. *eod. tit.* 12) *arg.* c. *fin. de Tranſact.*

tione remota, ſtare oportet, (1) niſi contra formam juris aut Compromiſſi pronuntiatum fuerit, (2) vel niſi Pars lau-do ſtare nolens, pœnam adjectam ſolverit, tunc enim liberatur à Compromiſſo. (3) Promulgatum arbitrium & à Partibus homologatum ſeu expreſſè vel tacitè approbatum, non Arbiter, qui juriſdictionem non habet, ſed Judex Ordinarius executioni demandat. (4)

VI.

SI Partes nec pactîs, nec tranſactionibûs, neq; etiam arbitrîis reconciliari poſſint, ſubſequitur in jus vocatio ſeu citatio, utpote omnium judiciorum principium & fundamentum, (5) ita, ut ſi omittatur, Proceſſus ſit ipſo jure nullus. (6) Citatio autem eſt actus legitimus, quo quis mandatô Judicis, juris experiundi cauſâ, in judicium vocatur. (7) Dicitur: *mandatô Judicis*, quia ex diſpoſitione juris, nemo poteſt abſq; mandato Judicis citari, (8) quamvis de conſvetudine mandatum Judicis non requiratur. (9) Quæ citatio regulariter ſimplex, eaq; trina eſſe debet; peremptoria unica in caſibus extraordinariis locum habet: edictalis tunc adhibetur, dum Reus per malitiam latet. 10) Tertia *ſimplex* vel una *peremptoria*, legitimè executa, perpetuat juriſdictionem tam Ordinariam quàm delegatam, (11) inducit litis pendentiam, ut nimirum lite pendente nihil innovari poſſit, (12) interrumpit præſcriptionem longiſſimi temporis,(13) & Citatũ, ſi abſq; legali impedimento *vg.* captivitate, infirmitate, inundatione, peſtilentia, hoſtilitate &c.(14)

non

1) *Can. A judicibus. 33. q. 6.* 2) *c. 7. de Confirm. util, vel inutil.* 3) *l. 1. & Auth. Jus novum. C. de Arbitr.* 4) *l. 31. & 32. ff. de Arbitr. & cc. DD.* 5) Lancel. §. 2. *Inſt. de In jus vocando.* 6) *Clem. Paſtoralis. de ſent. & re judic.* Lipſc. *Cent. 1. Obs. 2.* 7) *l. 1. ff. De in jus vocando.* 8) Gaill. *Lib. 5. Obſ: 38.* 9) Marant. *par 6. de Citat.* 10) *Clem. 1. de Judic. l. 68. & ſeqq. ff. eod. l. 13. §. 2. C. eod. tit.* 11) *c. 20. de Offic. Deleg.* 12) *Clem. 2. Ut lite pendent. &c.* 13) *gl. in l. ſicut. v. Executorem. & in l. Cùm notiſſimi v. ſolam conventionem. C. De præſcr. trig. vel quadr. Annor.* 14) *Clem. 2. de Sent. & re judic,*

non compareat reddit contumacem. (1) Reus per interlocutoriam contumax declaratus, condemnatur in refundendis Actori expensis, (2) punitur pænâ arbitrariâ *vg.* excommunicationis, bannitionis, (3) bonorum illius possessio adjudicatur Actori, (4) deniq; contumax in non respondendo, habetur pro affirmante vel negante, prout illi magis est præjudiciosum. (5) Si vero actor sine justo impedimento non compareat in termino, terminus ille pro circumducto habetur, Reus liber pronuntiatur & Actor in expensis condemnatur. (6)

VII.

REo in assignato tempore comparente, Actor offert Judici libellum, (7) qui est scriptura brevis & ordinata claram Actoris intentionem continens, & contra adversarium necessariò concludens. (8) Dividitur in Civilem & Criminalem, Conventionalem & Reconventionalem: simplicem & Articulatum. (9) *Simplex* seu *summarius* idem est, quod propositio in Citatione literali contenta, aut viva voce in Judicio exposita. *Articulatus* verò est, in quo meritum causæ fusè per articulos proponitur, (10) Ejus Libelli oblatio est de substantia Judicii plenarii, (11) qui emendari in accidentalibus potest usq; ad Sententiam definitivam, mutari verò nempe quoad substantiam petitionis corrigi, probabiliùs non potest. (12) Si Reo cum citatione simul non fuerit communicatus libellus, ut sufficienter instrui potuerit super eo, de quo in judicio convenitur, dandæ sunt ei induciæ ad respondendum, (13) aliàs Re-

1) c. 2. *de Dol. & Contum.* 2) c. *fin. Ut lite non contest.* 3) c. 3. *eod. tit.* 4) c. 1. & *seqq. De eo qui mittitur &c.* 5) *Abb.. ad tit. de dol. & contum.* 6) cc. DD. 7) Lancel. *pr. Inst. de Libell. concept.* 8) c. 1. *de Libell. oblat.* 9) cc. DD, 10) Janidłov: *in suo Processu Cap. 16.* 11) *d. c. 1. de Libell. oblat.* 12) *Auth: Qui semel. C. Quomodo & quando Judex.* 13) c. *Preterea. de Dilation.*

Reus habet viginti dies, intra quos deliberet, an judicio contendere, an verò cedere, aut amicabiliter componere velit. (1) Dixi: *Reus*, quia Actor, cùm paratus ad judicium venire debeat, non habet dilationem deliberatoriam. (2)

VIII.

ADveniente termino ad respondendum Libello, Citatus antequā litem contestetur, habet campum excipiendi, (3) unde exceptio est actionis seu intentionis Actoris exclusio. (4) Estq; triplex Dilatoria Peremptoria & Anomala. (5) *Dilatoria* seu *temporalis* est, quæ negotium & judicium differt, non tamen tollit; ùt Citationis ad tempus feriarum, vel ad locum non tutum, Judicis incompetentis vel suspecti, illegitimitatis Actoris, insufficientis Mandati procuræ, libelli inepti, litis pendentiæ seu præventionis, præfestinationis seu plus petitionis, excussionis seu ordinis, subreptionis vel obreptionis, moratoriæ solutionis ex Rescripto Principis &c. (6) *item* de praxi Regni Poloniæ: minorennitatis, infirmitatis veræ, legationis aut functionis publicæ, pro majori & ad munimenta; (7) quæ regulariter opponi debet ante litis contestationem. (8) *Peremptoria* seu *perpetua* est, quæ negotium principale perimit, semperq; obstat agenti, ùt exceptio rei judicatæ, doli mali, metûs gravîs, erroris evidentis, pacti de non petendo, transactionis, quietantîæ, jurisjurandi, præscriptionis, Senatûs Consulti Macedoniani, SCti Vellejani &c. quæ circa vel mox post litis contestationem opponi, & in continenti (sicut & dilatoria) per excipientem probari debet, aliàs non sistit judicium. (9) *Item* peremptoriarum exceptionum aliæ sunt

præ-

1) *Nov.* 53. *Cap.* 3. 2) cc. DD. 3) Janidł: *in suo Processu Cap.* 21. 4) Lancelot. §. 1. *Inst. de Except.* 5) Lancelot. *loc. cit.* & cc. DD. 6) cc. *Processistæ.* 7) Zawadzki *in suo Process. tit. de Except.* & *Constit: Regni.* 8) *Clem. un. de Except. l. penult:* & *fin: C. eod: tit:* 9) *l.* 3. *ff. de Except: l.* 19. *ff. de Probat: l.* 8. *C. de Except.* & cc. DD.

præjudiciales nuncupatæ, quòd principali quæſtioni præjudicium afferant, ut illæ: *conſangvinitatis*, in petitione Matrimonii; *Natalium*, in petitione hæreditatis; *ſpolii* in petitione rei cujuslibet; aliæ *teſtimoniales* vocatæ; quæ teſtibus objiciuntur. (1) Deniq; *Anomala* ſeu Jrregularis eſt, quæ non ſequitur normam aliarū exceptionum in opponendo, & poteſt etiam poſt ſententiam opponi, ùt exceptio excommunicationis Actoris, falſi Procuratoris, pecuniæ non numeratæ, indebiti ſoluti, dotis non acceptæ, Matrimonii non initi &c. (2) Cæterùm exceptioni eſt contraria replicatio, nam quemadmodum exceptio actionem, ita replicatio exceptionem enervat. (3) *Replicatio* autem eſt nova allegatio Actoris ad excludendam Rei exceptionem. (4) Si Reus hanc Actoris allegationem nova exceptione excludere nitatur, *duplicatio* dicitur; huic ex parte Actoris denuo opponi poteſt *triplicatio*; & demum ex parte Rei *quadruplicatio.* (5) Ultra quadruplicationem in plerisq; Tribunalibus Partes non audiuntur, ſed in cauſa concludere debent. (6)

IX.

LEgitimîs exceptionibûs deſtitutus, aut in earum probatione deficiens Citatus, per Interlocutoriam Judicis, cogitur directè reſpondere & litem conteſtari, unde Litis conteſtatio (à qua proprie incipit judicium) (7) eſt ad petitionem Actoris in judicio factam congrua reſponſio Rei, ſecuta animô litigandi. (8) Quæ licèt in judicio plenario requiratur adeò, ut ſine illa nullus omnino ſit Proceſſus,)9) attamen p teſt omitti, *imò.* in cauſa petitæ declarationis incidiſſe in Canonem: *Si quis ſvadente.* (10) *2dò.* in cauſa executionis Decretorum aut Inſtrumentorum. *3tiò.*

in Cau-

1) Lancelot: §. 17. & 18. *Inſt. de Except.* 2) *Gregor: Szamotul: in Proceſſ. de Except. Caniſius eod. tit. & alii paſſim.* 3) *cc. DD.* 4) *pr. Inſt: Civil: de Replicat:* 5) §. 1. & 2. *loc. cit.* 6) Engel: *ad tit: de Except.* 7) *Specul: par: 2. n. 2.* 8) c. *un: de Litis conteſt:* 9) c. 1. 2. 3. 4. & 9. *Ut lite non conteſt:* 10) Rot: *decis:* 3. *de lit: conteſt: in nov.*

in causa Appellationis. (1) *4tò.* in causis summarium processum exigentibus, (2) ac in aliis casibus per Canonistas allegatis. (3)

X.

LIte legitimè contestata, quandoq; Partes ad juramentum calumniæ deveniunt, proinde calumniari in criminalibus, idem est, quod falsum crimen alteri intentare, at in civilibus idem est, quod vexare alterum in judicio per varias fraudes & frustrationes. (4) Ad avertendas hujusmodi fraudes, introductum est utroq; Jure juramentum calumniæ, (subintellige vitandæ) quod est de substantia cujuslibet judicii, si ab altera Parte exigatur; (5) neq; expresè Pars una alteri illud remittere potest, potest tamen tacitè. (6) Et hoc juramentum præstare debent non solùm Partes litigantes, sed etiam earum Procuratores, Syndici, Tutores; & non tantùm Laici, sed & Clerici ac Religiosi, (7) idq; in omnibus causis etiam spiritualibus. (8)

XI.

FActa litis contestatione, prævió si exigitur juramentô calumniæ, Reo negativè ad Libellum respondente, subsequitur probatio, quæ est rei dubiæ & controversæ per legitimos modos Judici facta ostensio. (9) Alia est *Plena*, quæ tantam Judici facit fidem, quanta sufficit ad definiendam controversiam sine alio requisito: cujus sex numerantur species: Confessio Partis, Notorietas seu evidentia facti, Testium depositio, Instrumentorum productio, Juramenti præstatio & legitima præsumptio. (10) Alia est *Semiplena*, quæ aliquam quidem fidem facit sed insufficientem ad decisio-

1) cc. DD. 2) *Clem: 2. de V. S.* 3) *Canonistæ ad tit: de Lit: contest. Ut lite non contest:* 4) *l. 213. ff. de V. S. & DD. ad tit: de Juram: Calumn:* 5) *c. 1. & 2. de Juram: Calumn: in 6.* 6) *d. c. 1. loc: cit:* 7) *c. 5. & fin: de Juram: Calumn:* 8) *c. 1. & 2. de Juram: calumn: in 6.* 9) *cc. DD.* 10) *Mascard: de Probat: & cc. DD.*

cisionem causæ, cujus sex pariter recensentur species: Testis unus probatæ fidei, fama publica, pictura vel sculptura, scriptura privata, literarum comparatio & corporis inspectio. (1) Quæ probatio debet regulariter fieri per Actorem, idq; in omnibus causis, (2) & juxta formam juris, (3) ac deniq; ad sententiam ferendam requiritur plena, saltim in causis gravioribus, & præjudicium aliquod condemnato afferentibus. (4) Si verò semiplena duntaxat sit probatio, debet compleri per juramentum suppletorium. (5)

XII.

TEstes simpliciter vel secundùm quid (relatè ad certam causam, pro certa persona, aut contra certam personam) idonei, (6) non tantùm admitti, sed cogi etiam possunt à Judice ad testimonium ferendum, (7) ita tamen *1mò.* ut à Parte, pro qua testificari debent producantur. (8) *2dò.* ut præsente Parte altera à Judice recipiantur. (9) *3tiò.* ut præsente eadem Parte super veritate dicenda jurent. (10) *4tò.* ut deinde singuli, seorsim, à Judice vel ejus delegato per legitima interrogatoria, (non tamen suggestiva) super singulis Articulis à producente assignatis examinentur, eorumq; depositiones diligenter connotentur, ac iisdem prælectis depositionibus, cum obligatione servandi secreti dimittantur. (11) *5tò.* ut eorum depositiones seu Rotulus examinis coram citatis Partibus publicentur, ac attestationum copia Partibus communicetur. (12) *6tò.* deniq; ut plena probatio non habeatur, nisi duo saltim testes in eodem conveniant. (13)

XIII.

QUilibet rei suæ moderator potest juramentum litis decisorium

1) *cc. DD.* 2) *c. Quoniam. de Probat. & l. Actor. C. eod. tit.* 3) *c. 8. & 11. de Probat.* 4) *arg. c. 13. de Probat.* 5) *c. 2. de Probat.* 6) Petz. Farinac. Menoch. Mascard. Janidłov. *& alii de testib. per text. juris allegat.* 7) *c. 2. & 4. de Testib. cogend. vel. non.* 8) *c. 2. de Testib. & attestation.* 9) *d. c. 2. de Testib.* 10) *c. 17. 29. 39. & 51. d. tit. de Testib.* 11) *cc. DD. & praxis.* 12) *c. 2. de Testib.* 13) *c. 23. & 37. d. tit. de Testib.*

rium *voluntarium* alteri Parti deferre, (1) quod pro Partium placito vel recusari, vel acceptari, vel referri potest: ast juramentum judiciale deferre non potest Actor, nisi semiplenè probaverit; (2) debetq; vel acceptari vel referri. (3) Juramentum *necessarium* seu *suppletorium* à Judice ex officio, prævia cognitione, deferendum est illi Parti, quæ semiplenè probavit (4) ita, ut Pars illud recusans, causâ cadat; præstans verò, probationes suas compleat: salvo alteri Parti jure appellandi, vel petendi retractationem sententiæ ob instrumenta noviter reperta. (5) De reliquis plenæ probationis speciebus, sicut & de omnibus semiplenis, quæ sit juris dispositio? videantur Canonistæ & Civilistæ. (6)

XIV.

EX probationibus devenitur ad sententias, & ex sententiis ad rem judicatam, ideo sententia est propositæ controversiæ à Judice ritè facta definitio. (7) Estq; duplex *Interlocutoria*, quæ fertur super aliquo Articulo inter causæ principium & finem emergente *vg.* super dilationibus dandis. *Et definitiva*, quæ super negotio principali pronuntiatur; hæc postea ex effectu est, vel *absolutoria* vel *condemnatoria*, vel *criminis declaratoria*. (8) Quam sententiam, ut valida sit, ferre debet Judex competens, (9) à judicando non prohibitus, *vg.* non excommunicatus; (10) judicans servato Processu (11) & conformiter juri *Constitutionis*, præsertim si sit subalternus, (12) deniq; observans solennitates sententiæ ferendæ tam *internas*, *vg.* ut sit conformis libello, (13) quàm *externas*, *vg.* ut feratur utraq; Parte citata, (14) die juridica, non feriata &c. (15) *Res* autem *judicata* dicitur, dum

 Pars

1) *l. 17. & 26. ff. De jurejur.* 2) *c. fin. De jurejur.* 3) *cit. c. fin. De jurejur.* 4) *d. c. fin. De jurejur.* 5) *l. 31. ff. De jurejur.* 6) *Canonistæ & Civilistæ ad tit. de Probat.* 7) Lancel. *§. 1. Inst. de Sent. & re judic.* 8) Lancel. *loc. cit.* 9) *c. 4. de Judic.* 10) *c. 24. eod. tit.* 11) *c. 24. de sentent.* 12) *c. 1. eod. & l. 1. §. 2. ff. Quæ sententiæ sine appell. &c.* 13) *Clem. 2. de Verb. signif.* 14) *Clem. 2. de sent. & re judic.* 15) *c. 1. de Feriis.*

Pars judiciô victa ſententiæ latæ acquieſcit, vel *expreſſè, vg.* petendo terminum ſolutionis; vel *tacitè*, non appellando intra decendium. (1) Aliàs ſecundùm *Joannem Andream* ſententia propriè & ſtrictè vocatur, cùm adeſt appellandi facultas; cùm verò non ſubeſt remedium retractativum, vocatur res judicata. Excipe certos caſus, in quibus ſententia lata nullatenus tranſit in rem judicatam. (2)

XV.

SEntentia condemnatoria, quæ tranſiit in rem judicatam, ſecundùm tenorem, regulariter à Judice qui eam tulit, intra legitimum terminum, executioni mandanda eſt. (3) Cujus executionis tempus, in actionibus perſonalibus eſt quadrimeſtre, pro arbitrio Judicis abbreviandum vel prorogandum; (4) in actionibus realibus ſtatim poſt lapſum decendium. (5) Executio autem in perſonalibus debet fieri primò in mobilibus, deinde in immobilibus, poſtremò in nominibus hoc eſt in liquidis Reo competentibus debitis. (6) Deinde Judex Eccleſiaſticus facit executionē rei judicatæ, per Cenſuras, per ſequeſtrationem Beneficii, per privationem &c. ſi tamen Clericus non habeat, unde ſatisfaciat ſuis Creditoribus, non debet excommunicari aut aliter moleſtari ob debitū, ſed ſolùm præſtabit idoneam cautionem de ſolvendo, cùm ad pinguiorem fortunā pervenerit. Hoc ſpeciale privilegium refertur in *c. Odoardus. 3. de Solutionibus.*

XVI.

SI quis per ſententiam aliquam, gravandum ſe aut gravatum videat, habet ordinarium remedium Appellationis, (7) niſi ſpecialiter prohibeatur appellare, prout ſunt in jure caſus. (8) Quæ appellatio eſt ab inferiore Judice

ad

1) *c. 15. de ſent. & re judic.* 2) Konig. *de ſent. & re judic. n. 53.* Pirrh. *eod. tit. n. 58. & 56. & cc. Canoniſtæ.* 3) *cc. DD. ad d. tit.* 4) *c. 15. de ſent. & re judic.* 5) *cc. DD.* 6) *l. A divo Pio. §. In venditione. ff. de Re judic.* 7) *Can. Omnis oppreſſus. 2. q. 6. & c. ſuper eo. 12. de Appell.* 8) *c. Conſuluit. 29. c. Quia nos 32. c. Novit. 43. de Appel. & c. Cùm appellationibus. 5. eod. in 6.*

ad Superiorem ratione gravaminis illati vel inferendi provocatio. (1) Dividitur in *judicialem*, quæ fit ab actibus seu à sententia vel interlocutoria, vel definitiva, (2) & *extrajudicialem*, qua quis ad Superiorem recurrit ob gravamen in actu aliquo extrajudiciali, *vg.* à delatione tutelæ, præsentatione ad Beneficium, electione ad Prælaturam &c. (3) In judiciali Appellatione maximé consideranda sunt tria: *fatalia*, *Apostoli* & *Attentata*. Fatalia interponendæ appellationis sunt decem dies à sententia lata, (4) petendorum apostolorum seu Processûs coram Judice *à Quo* formati, sunt triginta dies ab obtenta notitia sententiæ latæ, (5) prosequendæ appellationis est unus Annus, vel ex justa ratione biennium. (6) Quoad attentata, si durante secunda Instantia, Judex *à quo* in præjudicium Appellantis & Appellationis aliquid gerit, id totum revocatur per Judicem *ad quem*; (7) si vero Pars ipsa Appellans aliquid interim appellationi contrarium attentet, privatur favore appellationis, & prior sententia, eo ipso transit in rem judicatam. (8)

XVII.

PRæter remedium appellationis ordinarium, indulsit jus quibusdam personis. ùt Minoribus, (9) Ecclesiis (10) Reipublicæ & Communitati cuilibet &c. (11) aliud remedium extraordinarium restitutionis in integrum, quo quis notabiliter (per sententiam Judicis, vel per proprium actum *vg.* per contractum) læsus, reducitur in eum statum, in quo fuit ante læsionem. (12) Cujus restitutionis beneficium jure Civili duntaxat quadriennio à die adeptæ majoren-

1) Lancel. *9. l. Inst. de Appel.* 2) *c. 14. eod. tit. & c. 5. 46. 61. de sent.* 3) *c. 19. & 29. de Elect.* 4) *c. 8. de Appell.* 5) *c. 6. d. tit.* 6) *Clem. 3. de Appell. & Auth. Ei qui C. De tempor. Appell.* 7) *c. 7. §. 1. de Appell. in 6.* 8) *c. 3. de Appell.* 9) *l. 1. ff. de Minor.* 10) *c. 1. De in integr. restit. in 6.* 11) *l. 3. C. De jure Reip.* 12) *c. 1. De in integr. restit. in 6. l. 1. ff. eod.*

jorennitatis vel respectivè cognitæ læsionis peti potest, (1) Jure Canonico etiam post quadriennium ab Ecclesia vel Republica (saltim ex causa justa) peti & obtineri potest; (2) & quidem obtinendum est à Judice illius, contra quem petitur, (3) vel à supremo Principe, qualis in rebus Ecclesiasticis est Papa. (4)

XVIII.

AD extremum Parti per sententiam gravatæ, & recensitis remediis destitutæ, supersunt duo alia remedia. 1mum, *Supplicatio* Principi porrigenda, ut sententiam contra supplicantem latam retractet ex mera gratia & benignitate; (5) hodie potiùs imploratur *Revisio Actorum* nempe Actus, quo totius Processus acticata à superiore Judice v.g. per Deputatos ab eo, revidentur, & si opus est, sententia reformatur. (6) 2dum, est *querela nullitatis* Principi etiam offerenda, in qua ostendatur sententiam esse latam (à Judice subaltern[illegible] contra jus *Constitutionis*, nempe contra leges, statuta vel consvetudines loci, ac proinde nullam; cui querelæ ad Annos 30. locus est. (7)

Hinc

Deo ter Optimo Maximo,

sit Laus, Honor & Gloria.

Defendetur publicè in Collegio CC. DD. Jure-Consultorum sub assistentia M. STANISLAI FICZKIEWICZ, U. J. Professoris, Ecclesiarum Collegiatarum S. Annæ Præpositi, OO. SS. Cancellarii, Notarii Apostolici; Objectis satisfaciente Excellente M. ANTONIO CAMELIN, Philosophiæ Doctore & Professore, Juris Canonici Auditore. Annô & die, ùt supra.

1) *l. fin. C. de temp. in integr. restit.* 2) *c.* 11. *De in integr. restit.* 3) *arg. c. 8. De for. compet.* 4) Zoes. *ad tit. De in integr. restit.* 5) Lancel. *§. fin. Inst. de In integr. restit.* 6) Remig. *ad d. t.* 7) *c. 1. de sent. & re judic. l. 1. §. 2. ff. Quæ sent. sine appell.*

